

LIB. I 3. 4. 5

ingenuus color et multis decus artibus et quae
gaudia sub tacita dicere veste libet.
quo magis et nostros contendis solve re amores, 15
hoc magis accepta fallit uterque fide.
non inpune feres: sciet haec insana puella,
et tibi non tacitis vocibus hostis erit,
nec tibi me post haec committet Cynthia nec te
quaeret; erit tanti criminis illa memor, 20
et te circum omnes alias irata puellas
differet: heu nullo limine carus eris!
nullas illa suis contempnet fletibus aras,
et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.
non ullo gravius temptatur Cynthia damno, 25
quam sibi cum raptō cessat amore deus,
praecipue nostri. maneat sic semper, adoro,
nec quicquam ex illa, quod querar, inveniam!

5

Invide, tu tandem voces compesce molestas
et sine nos cursu, quo sumus, ire pares!
quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
infelix, properas ultima nosse mala,
et miser ignotos vestigia ferre per ignes, 5
et bibere e tota toxica Thessalia.